

77. *Seriola Allatae*? foliis radicalibus, spathulatis,
dentatis, pilosis; caule adscendente, glabro;
pappo stipitato.

T. 7. Herba glauca, Andrialaë (Crep. L.)
nemausensis facie. Radix brevis, fusca, subpre-
morsa, crassitie pinnae anserinae, fibrillas lon-
gas, tortuosas exerens. Folia omnia radicalia,
in orbem disposita, depressa, pilosa, molliu-
scula, spatulata, in petiolum decurrentia, de-
tato-sinuata. Caules a semipede ad quindecim
pollices usque alti, tenues, adscendentes, ra-
mosi, striati, basi tantum scabri, ad divisionem
ramorum et flores versus squamati. Flo-
res lutei, solitarii, terminales, uno altero ve-
laterali abortivo minimo. Calyx vix imbrica-
tus, foliolis carinâ hirsutis. Semina purpurea,
striata, rugosa, apice in pedicellum scabrum
attenuata. Receptaculum paleaceum, paleis de-
ciduis, membranaceis, apice subulatis, calyce
longioribus. Pappus plumosus, stipitatus, uni-
formis.

Auspiciis Illustrissimi Equitis, Villafrancae

Principis, D. JOSEPHI ALLIATA, qui Botanices studium nunc inter nos auget atque promovet, et inter Clarissimos Majores suis illum refert, quod una cum Catholicae Principe pecuniam et operam ad conficiendum Panphyton Cupaneum contulit.

Habitat in Etnae sylvis et ad sepes umbrosas.

78. *Silene hirsuta*: floribus racemosis secundis; calycibus hirsutissimis; petalis bifidis.

Silena hirsuta Poiret. *Fl. 2.* p. 463. — *Dicit.*
Enc. VI. p. 169.

Silene hispida Desf. *Atlas.* I. p. 348.

Lychnis alpina, noctiflora, longis calycibus hirsutis, flore collecto *Cup. Panph.* I. 4. 87. — *Bon. t. 175.*

Reperi in cultis prope Catanam.

Habitat in Etnae arenosis aridis.

79. *Silene sedoides*: pubescens, viscosa, humillima; caule dichotomo; foliis carnosis, imis spathulatis; petalis emarginatis.

Silene sedoides Willd. *Sp. pl. 2.* p. 703. —